

W. 240.

X 204 66 43

Za
6600

PARENTALE SACRUM

quod
VIRO

Maxime - Reverendo, Amplissimo Excellentissimoque

DOMINO

M. JOH. GEORGIO
DIETSCHIO,

ANTISTITI

De Ecclesia Coldiciensis optimè merito, cum ante octo an-
nos, ingenti Ecclesiæ suæ damno, Suorumque mœnore
decesisset,

Ex sincero quodam affectu nunc demum
instituit

IV. Nonas Julii Anno O. R. M DC LXXXVII.

MARTINUS MÜLLERUS,

SS. Theol Stud.

LIPSIAE,

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.



V I R O

Plurimum Reverendo, Amplissimo Doctissimoque

DOMINO

M. DANIELI DIETSCHIO,

Dœbelensis Ecclesiæ Symmystæ meritissimo;

Patrono suo atque Fautori etatem devenerando;

ut &

V I R O

Ornatissimo, Humanissimo, Literatissimoque

DOMINO

DANIELI GOTTLOBIO

DIETSCHIO,

hoc tempore in Academia Lipsiensi Philosophiæ &
Theologiæ naviter operam danti,

Amico suo & Contubernali longè dilectissimo, Filio magni Pa-
rentis, cui paucis hisce paginis supremum officium fuit
exhibitum;

*Quicquid hoc est chartacei muneris, humillimo obsequii
cultu*

dat, dicat, dedicat

Autor.



Audes mortuorum, qui

virtute ac rebus gestis excelluerunt, publicè commemorare, eorumque memoriam ad ipsam posteritatem propagare, jam ab orbe condito omnium ferè gentium consuetudine receptum fuit. Romanos sæpè legimus ac Græcos, quorum literis ac sapientiâ ad optimas vivendi rationes instruimur, ne in castris quidem, in conspectu hostium, ac bellico tumultu commisisse, ut sacra parentalia Heroum manibus negarentur. Publicè enim interesse putabant, ut junioribus clarissimarum virtutum exempla proponerentur, quibus indolem honestâ quâdam æmulatione adhibitâ excitare possent. Imitati hoc etiam prisca fuere Christiani; qui religiosè admodum habebant Martyrum memorias, illasque sedulo inculcabant seculo suo, nefas rati, famam tantorum hominum æternitate dignissimam penitus extinguere. Subsequenti verò tempore etiam ad nos mos iste transiit, ut quos hodiè honoratum imus, eorum vitam, & quicquid gesserunt laudabiliter, in publicis conventibus exponamus. Cæterum ut hinc nihil prorsus absolutum datur; nec quicquam in eodem statu consistit semper; ita quoque laudationes funebres degenerarunt quasi, & in abusum turpissimum abierunt. Multi hæctenus alienis temerè ornati sunt laudibus; multi



suis fraudati malitiosè. Fuit, fuit illud tempus, quo Achilles Homerum, Cyrus Xenophontem, Trajanus Plinium, & minoris etiam fortunæ viri summos laudum Suarum Præcones invenirent. Nunc verò cum tanta sit magnorum virorum paucitas, ut cum singulis qui moriuntur, ipsa propè pietas ac eruditio efferri videantur, plerique tamen, quos natura ad exempla laudum genuerat, sine ullâ posterorum commendatione, tanquam fugitivi elabuntur. Idem etiam accidit Viro Clarissimo JOHANNI GEORGIO DIETSCHIO, summo in Ecclesiâ Col-diciensi quondam Antistiti; qui non heri aut nudius tertius ex hac vitâ migravit, sed ante octo annos dormitorio suo commendatus est; nec quisquam adhuc tanti Viri memoriam ab interitu vindicare sustinuit. Ecquid enim magis par erat fieri, quam ut optimo & de Ecclesiâ Christi non modo doctrina ac voce, sed & exemplo constanti egregiè merito talis exhiberetur honos, quò irent in secula ejus facta, sancteque haberentur à posteris? Quamvis facile concedam, tot ejus virtutibus recensendis nullum verborum apparatus dicendique copiam sufficere; idque JOHANNI GEORGIO esse pro maximâ laude, quod dignè qui laudet inveniri non queat. Verum enim, cum non semper spectetur, quâ quid excellentiâ, quòve splendore, sed quò animo fiat: & ipsum Numen non tam acquisitâ ad ostentationem verborum magnificentiâ, quam simplici, & minime fucato cultu celebrari velit: non adeo reprehenderim illum, qui in magni cujusdam Viri laudibus audet periclitari vocis suæ exilitatem. Quod & mihi in præsens facit animos, quem paulo ante deterrebat oneris magnitudo, & ambiguitas dubitatioque constituerat in trivio quasi, ut quid facerem, aut quomodo facerem, aut quid omninò non facerem, ipse non invenirem facile. Sed vicit postremò pietas; quæ pro
me

me exorat veniam, si minore fortè judicio, quàm impetu
has mihi sumferim partes, quas dignè ne florentissima
quidem disertissimaque ingenia sustinere potuissent.

Ac primò quidem non ego hic callidè dissimulaverim,
quod JOHANNES GEORGIUS noster à Patriâ suâ nihil
fastigii ac claritatis adeptus sit; quod tamen Simonides
alias non temerè partem humanæ felicitatis censuit. Sed
quoniam non patriæ ac incunabulis debetur, quod aliquis
animum habeat egregium: & multi qui postea gentibus
imperarunt, de casis etiam ac gurgustiolis prodierint;
gratulandum illi potius est, quoniam istas perrupit tene-
bras feliciter, & sibi met ipsi lucem circumfudit clarissi-
mam. Quin Sulza ipsa municipium illud Thuringense
(hic enim lucem ac spiritum hausit primum) sibi sumsit
ab eo non parum splendoris: nec cedit Stagiræ, quam-
vis aliquem fortè tulerit Aristotelem. Pater ei contigit JO-
HANNES DIETSCHIUS, Consul ibidem, penes quem
in simul procuratio inspectioque publicorum censuum
erat, non generosus ille quidem & clarus multis majorum
insignibus, Vir prudens tamen ac probus. Quæ duo no-
mina plus laudis honorisque continent, quàm si in titu-
lis ejus quamplures enumerarem regiones ac gentes vel
devictas & domitas vel regnatas. Avus fuit JOHAN-
NES DIETSCHIUS, civis Weidensis primarius, qui
splendore virtutis ac bonæ famæ unus omnium maximè
florebat. * Cæterum antiquitatem hujus generis, si ab
origine ultimâ velim repetere, in longè remota secula
mihi eundem, nomenque Dietschianæ gentis, vel ab
ipsis antiquis Teutiscis, vel à Deo, quem majores nostri

A 3 Deud

* Ab illo vocabulo Deud vel Düd dicti sunt die Deudischen oder Deytschen/
ut & variante dialecto die Dietschen / quod posterius cum no-
mine gentilicio Dietschianæ familiæ convenire videtur. vid. B:
Luth. Etymol. nom. propr. cap. 3. &c. It. Cluveri Introd. in
Geogr. p. m. 210. edit. 1667.

Deud sive Dūd nominabant, derivandum esset. Sed nec
tacenda Mater est, CATHARINA PFAFFIA, pia &
ingentis exempli foemina in tolerandis & feliciter supe-
randis miseriis; ac propterea vel singulari laude comme-
moranda. Non dicam quas illi calamitates privatim in-
vexerit truculentia fati: nec loquar, quæ mali fulmina
publicè exceperit, cum belli ac pestilentiae rabies domi-
naretur; tantum hoc attingam, quod anno decimo tertio
currentis seculi, quum exundatione fluminum tota ferè
Thuringia in undis nataret, experta est. Cum enim ibi
urbes, agri, ipsique homines opprimerentur, & feris flu-
ctibus præda fierent, factum est providentiâ divinâ, ut
cum matre viduâ, quam deserere nolebat, tectum ali-
quod demolitum ab undis arriperet, quò tanquam navi-
giò quòdam illas difficultates ambæ incolumes, miraculò
nullis seculis tacendo, eluctatæ sunt. Sicut autem gemmæ
ac margaritæ non nisi in conchis nitidioribus nascuntur;
& feliciora tantum juga Gaurum, Falernum, Masficum
proferunt vinum; ita quoque satis clarè indicat CATHA-
RINA, quorum è sanguine deducta sit. Nam ejus Pater
ADAMUS PFAFFIUS, Ludi Sulzensis Moderator, Vir
fuit eruditione & sanctâ morum gravitate clarus, qui
præter Catharinam Magdalenam, M. Clementi Fundano
Pastori Grosheringensis Ecclesiæ nuptam, numerosæ
prolis matrem; & duos filios reliquit, Adamum & Danie-
lem, alterum Lipsiæ Juris Practicum, alterum Halæ
apud Archi-Episcopum Musicæ Directorem, utrumque
celeberrimum. Nec mihi prætereundus est Avus CA-
THARINÆ, ADAMUS PAPHI seu PFAFFIUS, Eccle-
siæ Uschmistiensis Præsul dignissimus; qui primus
gentem suam intra seculum, & quod excurrit, ex filiò
Adamo, & filiâ Demuthia, mirè auctam, in Vinarienses
ditiones intulit, declinaturus Patriæ turbas. Hic unus tot
possedit

possedit virtutes, quot invenire in pluribus hodiè singularis propè fuerit felicitatis. Quis aufit negare, pietatem ejus excellentissimam, eruditionem præclarissimam, & purioris doctrinæ studium illustrissimum fuisse in orthodoxâ Ecclesiâ? Probavit hoc ipse, cum patriam suam, Belgium Hispanicum, Pontificiis ibi omnia inconsiderato zelo sub Ducis Albani tyrannide reformantibus, veramque religionem ab aris à templis avertentibus longè, desereret, & ad illas sanctiores Evangelii sedes demigraret. Tam honestum igitur genus in JOHANNEM GEORGIUM nostrum duobus quasi rivis à Patre Matreque derivatum est. Ac licet illud nondum illustribus æquiparetur natalibus: non tamen strenuioris industriæ nervi, animique capacitas & magnitudo hos solos comitatur, qui sublimitatem generis jactant; sed aliquando etiam mediocris fortunæ homines, illis dotibus quasi duabus subvecti alis in summa enituntur. Ab eâdem terrâ & pretiosa & vilia proveniunt: nec lutum aliâ procreatur matre, quàm quæ aurum tulit & argentum. Non si atria fumosis majorum imaginibus exornentur, statim vera generis nobilitas evincitur: sed virtus in quemcunque ceciderit, illum in illustri collocabit splendore. Cæterum qui ædes magnificas perlustrare volunt, non solum in artificem tam pulchri operis inquirunt; sed & ingrediuntur illas, hærentque in elegantis membrorum commensu, & eximiâ venustate structuræ, cujus sublimitatem ex Autoris peritiâ præsumserant. Perinde mihi contemplato hæctenus Parentes Antistitis Nostri, & quicquid in illis fatorum dono excelluit, excutiendæ nunc erunt dotes, quæ in animo ac corpore ejus eluxerunt. Ac si non immeritò absurdum habetur in grandiori ætate commendare formam; quoniam hoc juventutis est proprium, quæ lætum adhuc membris dispen-



dispensat succum; non vergentis ætatis, quæ suavitatem
oris ac vultus rapit secum: exponam nunc, quantâ for-
mositatis luce Noster jam tum, cum esset puerulus,
radiarit. Nimirum natura, cum fingeret primum texe-
retque, ideò tantum honorem leporemque afflaverat ei,
tantam concinnitatem induxerat membris, tantâ firmi-
tate ac temperie solidaverat corpus, ne pulcherrimus
animus tot magnis instructus dotibus in ruinosum lace-
rumque domicilium detruderetur. Quippe in eo, cum
vix ruditatem ætatis primis absterferat disciplinis, statim
egregia virtutis indoles & ingenium capax, aptumque
ad ea omnia, quæ ingentes animas ad summum fastigium
extollere possunt, enitebant. Quamobrem consilio o-
ptimorum Parentum, qui probè intelligebant, quantum
à teneris annis didicisse virtutes & bonas literas interfit,
maturè in Scholâ publicâ primò, & deinde intra privatos
parietes informatus est. Equidem sic habeo, si parentes
liberos suos eâ severitate atque ejusmodi domesticis in-
stitutis ad optimarum rerum cultum imbuant, ut sincera
illa & integra natura nullis sodalium pravitatibus detor-
queatur, illam demum ratam esse educationem & pro-
futuram olim Reipublicæ. Quod si verò Scholis publi-
cis immaturè committuntur, sæpenumero à conversan-
tibus sumunt mores perniciosos, qui instar pestilentis
afflatus, quâ transeunt, nocent. Non ignorabat hoc
perspicacissimus JOHANNIS GEORGII Pater; ideoque
malebat illum domi ad manum habere, ut posset ejus
mores inspicere, & interdum præcipere, docere, corri-
gere, atque ad modestiam vultum orationemque com-
ponere. Est itaque prima ætas Nostri tota literis impensa
illis, quæ verum de Deo sensum insinuant: quæ amorem
honesti, & vitiorum inserunt odium; cumque hæc se-
mel acceperat rectè, in reliquas ipsi ætates durare poterant
tentan-

1076

tentanda haud temerè aut evellenda. Sic fortè etiam in
disciplinâ sapientum Babylonicorum Daniel: subque pa-
tribus suis Tobias junior & Maccabeus eruditi sunt. Nec
aliter sub vinitore crescit vitis nisi amputatur cum cura
atque ad palum religatur, ne silvescat sarmentis. Ad
eundem modum adolevit Noster sub privatis suis Præ-
ceptoribus; & jam literis non leviter tinctus, Parentum
jussu illustrem illam disciplinarum & bonæ mentis arcem
Gymnasium Gothanum adiit, in quo Reyhero & Hesio
Viris Clarissimis operam dedit, quos vel vidisse tantum,
non dicam audivisse pulchrum illo tempore atque glo-
riosum erat. Hic adolescens politioris literaturæ sitien-
tissimus, non sectando voluptates, sed artes bonas ac
pietatem discendo tempus transmisit. Nam latinam,
Græcam & Hebraicam linguam avidissimè arripuit: &
studium Philosophiæ jam tum summo cum ardore am-
plexatus est. Nec illi injuriam fecero, si inter ejus laudes
quoque recensuerim, quod optimus Poëta pariter ac
Musicus fuerit. Si in Nepotiano Presbytero pingendi
artem laudavit Hieronymus: quidni & ego Musicam at-
que Poësin in Nostro laudibus dignarer? Ac Musicæ tan-
tum tribuit Pythagoras, ut hoc universum musicâ ratione
architectatum à DEO, quin hominum animas ex nu-
meris conflatas pronunciarit. Quid de Poësi priscae Ec-
clesiæ lumina, Ambrosius, Hilarius, Prudentius judica-
runt? Quorum carmina non minoris hodiè æstimantur,
quàm reliqua eorum scripta, quæ ad posteritatem perve-
nerunt, Horum itaque imitator JOHANNES GEOR-
GIUS, artis Musicæ peritiâ ita cæteris suis commilitoni-
bus præstitit, ut à Præceptoribus choro Musico, qui
Gothæ est, concordibus suffragiis præfectus sit. Poësi
verò tam Græcæ, quàm latinæ multum studii ac tempo-
ris tribuit; neque ætate jam provector neglexit illam:
B sed

sed multa scripsit epigrammata elegantissima acutissima-
que, & pangens interdum carmen ad temporis ratio-
nem accommodatum, graves cogitationes hâc svavitate
temperavit. Nec tamen nimis hæsit in his talibus: ne
vividum animum flecteret in alia, quàm quæ promittere
magnum Theologum possent. Quem artes hujusmodi
ut non dedecent penitus, non faciunt tamen: cujus mens
consummatam & fructuosam scientiam debet affectare.
Quare in his studiis etiam amavit modum: ne hausta
fixaque altius eorum cura revocaret illum ambitiosâ sui
dulcedine ab his, quæ ad summam rerum facere vide-
rentur. Theologia erat, quæ sola ejus animum debebat
occupare; sicut & in eam se penitus ingurgitabat tum
privato studio, tum publicè audiendo Salomonem Glas-
sium Principem Theologorum, prælegendem in Gy-
mnasio; eaque jaciebat fundamenta, quæ aliquando exi-
miam illam & splendidam molem sustinerent. Excitatus
his disciplinis, magis magisque gliscebat & emicabat
animus; & tandem Scholastici pulveris pertæsus, dotes
suas in Academiis uberius explicare desiderabat. Ivit
itaque, acceptâ à suis Præceptoribus veniâ, Jenam; ibique
ex ore & disciplina pependit plurimum Philosophorum,
Horstii, Stalii, Schlevogtii, quos hæc Academia tunc
habuit totò terrarum orbe clarissimos. Atque horum
ex doctrinâ brevi sic profecit humanioribus illis literis
& Philosophiâ, ut ipsi Auditorem hunc & discipulum in-
potissimis ac primis haberent. Scilicet lætò quòdam ac
libero impetu grassabatur in studia, immisissisque habenis
veluti procurrebat alacriter, quò tot summorum virorum
decora, quo Parentum & sui ipsius vota ardentem ani-
mum rapiabant. Quicquid notabat in literis egregium
ac insigne, id cupidè invadebat, & custodiendum menti
sedulò commendabat. Historiam tum sacram, tum pro-
fanam,

1077

fanam; tùm veterem, tùm novam, tùm domesticam, tum externam, ita perdidicerat, ut ne peritissimis quidem in hâc notitiâ videretur concedere. Quid de argumentandi concludendique ratione; quid de ortu, progressu, natura, herbarum, stirpium, animantium; quid de officio, virtutibus, moderandis affectibus; quid de orbium coelestium cursu, quid de certis siderum trajectionibus; quid de terræ marisque situ, ingeniis ac moribus gentium loquar? Quarum ille omnium rerum sic pernovit indolem, ut nullus facilè sui ordinis ac conditionis homo docere de iis melius aut definire certius posset. Ad hâc in Theologiâ Præceptoribus est usus Cundisio atque Museo celeberrimis illius sapientiæ Professoribus; etiam ad Majorem se applicuit, Theologum planè incomparabilem, nactus ejus familiaritatem & hospitium. Sed ut fortuna (non cæca illa quidem, ac temeraria, sed quæ Græcorum sapientissimo Vati providentiæ filia appellatur) plerosque ex improvviso frustratur, quos fovit aliquandiu, illosque defatigata velut, aut quasi tæderet, tandem deserit: sic & illa eundem ludum lusit in Nostro. Deficientibus enim subsidiis, & urgente inopiâ, non solùm à latere Consummatisimi Theologi Majoris, sed etiam ab ipsa Academiâ divulsus est. Quò factô, non statim abjecit animum: quin Deo confisus, quos mœrores fecerat, hos iterum ab illo posse leniri firmiter credebat. Siquidem eum non planè fefellit opinio; cum à Generoso Heslero legionis legato expetere- tur; qui teneram liberorum suorum ætatem illi potissimum in disciplinam tradere cupiebat. Cum huic officio præfuisset ad tempus, obivit & alia informationis munia, quæ si recensere, & quâ curâ quâve industriâ illis sit perfunctus, exponere instituum, infinita quædam dicendi series mihi surgat necesse est. Excellentiora restant di-

cenda, quæ non strictim ac modicè delibari, sed pèni-
tus nosci cupiunt. Non tamen hoc præmittam,
Nostrum in informationibus suis ad Academiam, ut
Ulissem in errore ad Ithacam, idem idem reflexisse oculos,
& ab ea tam diu abesse se vix satis æquò animò tulisse.
Neque enim discentium puerorum strepitus plus sibi
laudis afferre judicabat, quàm innocentes Academiæ
recessus, & literata otia, quæ nulli movent invidiam.
Lipsia eo tempore viris florebat lectissimis; huc duce ac
Comite DEO concedebat, Theologiæ vacaturus cum-
primis cujus elementa Gothæ & deinceps Jenæ feliciter
hauserat. Sic videlicet illa virtus majorem compum in
quò excurreret, majus theatrum, in quò spectaretur
requirebat. Philurea nostrarum Princeps Academiarum
hoc pignus gremio suo excipere debebat: Hülsemanni,
Kromeyeri, Carptzovii soli erant digni, qui excellens
hoc ingenium fingerent. Quanquam & ipse naturæ
bonitate, & suâ ipsius industriâ, illa, quæ ad explicanda
mysteria religionis ac fidei, remque administrandam
Ecclesiæ pertinerent, ita diligenter scrutabatur, ut de
abstrusis ac reconditis quæstionibus promptè, subtiliter,
ac solidè respondere posset. Nam maximè semper dedit
operam, ut solidam masculamque eruditionem imbi-
beret animo, quæ Theologum instruat, & fructum pro-
mittat sui in ipso exercitio usuque rerum, non obscuram
illam & sordidam, quæ clamorosos agitat concertatiun-
culas, ortas ex spinosis ac vanis subtilitatibus, & extra
Scholam nullum sui fructum, nullam utilitatem exhibet.
Unde etiam ejus doctrina ac virtus diu delitescere, aut
omninò esse sine honore ac mercedè non potuit. Ema-
navit de eo fama, ac varia complevit loca, ut multi
ejus conversationem expeterent; quidam etiam Recto-
rem illam & Magistrum liberorum exoptarent. Quod
poste-

posterius eò libentius accipiebat, quoniam ipse nolebat
 consenescere in Academiis; seque videbat jam adoles-
 centiæ spatia egressum, & virilitati propiorem, cum ju-
 dicare de rebus, rectaque à pravis discernere posset,
 aptiorem ad hujusmodi partes Suscipiendas esse. Quare
 iterum stirpi Generosæ Nobilissimi Kötteritii Præfecti
 vigilum supremi & Dynastæ in Froburg, præesse cœpit.
 Hic cum per aliquod temporis spacium moratus esset,
 Dresdæ ampliorem conditionem fortitus, ibique non
 multò post in collegium, ut vocant, Concionatorium,
 magno applausu cooptatus est. In quò alterò munere
 ita se tractavit, ut nemo eum unquam facram Concio-
 nem ad populum habentem hæerere, frigescere aut de-
 fetisci viderit. Putasses aliquem Chrysostrum astare,
 cujus ab ore mel & nectar dimanaret, quum thesauros
 divinæ misericordiæ recluderet: rursus credisses ipsum
 non tam verba, quàm fulmina & hybernas grandines
 spargere, si probaret facinorosis, ipsos iratum habere
 Numen & vehementer offensum. Et quod mireris in
 juvene, nihil tunc docebat, quod ipse non prius suo
 exemplo sanciret; vitamque ducebat severam admo-
 dum, non rigidam illam quidem & morosam, sed ju-
 cunditate quâdam temperatam, comitateque conditam.
 Circa hæc tempora summos honores, quibus insigniun-
 tur Philosophiæ Cultores in Academiis, Witebergæ con-
 secutus est: & paulò post Diaconus in Ecclesiâ Bornensi
 factus curam & procurationem sacrarum rerum suscepit.
 Reperiuntur non rarò, qui per impotentiam insitæ am-
 bitionis ad summa aspirant, priusquam illa capiunt: &
 modo consequantur, tueri quàm valeant, parvi pen-
 dunt. Non laboravit hoc morbo JOHANNES GEOR-
 GIUS noster: non cursu aut saltu, sed per gradus ascen-
 dere voluit, & prius tentare humeros, sui que periculum



facere in levioribus, quam graviora sustineret. Imi-
tatus est strenuum ac prudentem militem, qui non
prius congreditur cum hoste, quam vires est expertus
minoribus in præliis; tumque demum sperat victoriam,
cum diu ad palum privatim exercitatus occalluit. Atque
sic etiam Noster primò Diaconatum Bornensis Ecclesiæ
administravit; ibique tam diu industriam, integritatem,
prudentiam suam ac fidem uberrimis documentis decla-
ravit: donec summus Antistes Ecclesiæ Libenverdensis
à sanctiori illo senatu declaratus est. Quod munus non
propria cupiditate, non proprio commodo, sed alieno
desiderio, aliena voluntate occupavit: tantumque abfuit,
ut illud ambierit protervius, ut potius verecundè acce-
perit ac jam coactus. Sed ut honores sequuntur illos,
à quibus maximè fugiuntur; ita & Nostrum in sola
defixum virtute, de reliquis non laborantem, ultrò ca-
tervatim sunt comitati. Invitos non ambientes in Rem-
publicam collocandos esse Imperator Severus rectè ac
verè dixit: observatum est hoc à supremo Synedrio,
penes quod sacrorum cura est, cum Nostro toties præter
spem & expectationem splendidissima munia injungeret.
Namque cum in suâ Libenverdensi Ecclesiâ hætenus
constanter tenuisset clavum, & felici solertiâ declinasset
scopulos, navemque sibi demandatam ex omni tem-
pestate conservasset, secundò Antistes Ecclesiæ Coldi-
ciensis declaratus est. Hic quibus lachrymis, quòve
dolore discedentem Libenverdenses profecuti sint,
dicere, brevis ac miscellanæ dissertationis ambitus non
capit; res propriam scribentis industriam requirit. Sed
parendum DEO & Principi, quorum voluntas pro lege
habenda est; & quas deferunt partes detrectare velle,
rectè supercilium ab ipsis interpretatur & contumacia.
Quare & Noster in eo laudem meretur, quod summum
Ecclesiæ

1079.

Ecclesiæ Coldiciensis munus susceperit, quanquam trepidè & cunctanter, quod modestissimi faciunt, cum illud non exorasset per ambitum. Cæterum cum primò Coldicium ingrederetur, aditurus acceptum munus, tantâ simul civium lætitiâ exceptus est, ut illi jam tum liceret faustum omen ducere, fore, ut satis ex sententiâ degat in istâ urbe. Nec eum hæc spes frustrata est. A quò enim die, solenni ac consveto ritu in novum officium immissus, ac inauguratus esset, ab universis deinceps & singulis, qui ejus fidei concrediti erant, ut communis parens observabatur. Ad hoc accessit, quod etiam domi intra parietes suos non careret felicitate. Nam quod spectat ad ejus matrimonium, auspicio Dei ^{+ Anna} DOROTHEAM GÖTZIAM, conjugem repererat jam olim Bornæ, in quam cuncta hæc ornamenta confluxerant, honestum ac clarum genus, forma exquisita, indoles & virtus moresque quales habuerunt antiquæ illæ: quibus accedit testimonium foecundissimi uteri & singularis curæ ac providentiæ in educandâ sobole. Sex autem liberos, quantum memini, suscepit ea, quatuor filios, filiasque binas, ex quibus tres pueri & una puella mature decesserunt, superstites adhuc sunt DANIEL GOTTLOBUS & SOPHIA CATHARINA (quibus Deus diurnam vitæ usuram concedat!) spes & fulcimenta hujus gentis. Hæc familiâ instructus Antistes Noster videbat etiam beneficiò divinò quotidie magis ac magis augerem familiarem & sentire incrementum. Quanquam & interdum in angustiis positus fuit & calamitate domesticâ, à quibus ne fortunatissimi quidem planè sunt immunes. Primum enim aliquoties mortes liberorum flevit: deinde & ipse in gravissimos subinde corporis dolores incidit. His accedit, quod ejus virtutes, quarum comites invidia & persecutio sunt, sæpè non pauci impu-

150
impugnauerint inimici. At stabat ille contra hæc omnia
immotus, ut in medio mari edita, & altissimis defixa
radicibus rupes: cujus summa fluctus ne attingunt qui-
dem, inferiora sic verberant, non ut illis noceant; sed
ut ipsi frangantur. Interim ita vivebatur in domo sua ut
in sanctuario quodam venerabili. Qualis forte disciplina
domestica apud priscos illos sacrorum Præsules fuit.
Uxorem suam, quæ merebatur his coli studiis, tanto
amore amplexus est, ut qui non nosset conjuges sanctis-
simum fratris sororisque Contubernium putaret. Liberos
dilexit ut oculos & viscera sua, multusque fuit in eo, ut
ipsius induerent mores, cujus ferrent ipsi sanguinem.
Porro stas precationum & commemorandarum lau-
dum divinarum horas ordinaverat domi; cum ipse tan-
quam legitimus Præsides circumfusæ familiæ voce, suspi-
riis ac votis intra animum conceptis præiret. Si quis
officio suo non satisfacisset, corripuit eum paternâ
potius, quàm herili potestate; neque enim si melioris
frugis spem poenitentia afferret, poenam tantum posse,
quàm lenitatem & moderationem persuasum habebat.
Ecclesiæ verò suæ summâ semper industriâ Cœlestis veri-
tatis doctrinam tradidit purè & in corruptè: & ut illam
semel impresserat animo suo, ita eandem retinebat
postea constantissimè ac profitebatur. Quam ob rem
sive irascendum muneris causa & indignandum vitiis
esset; sive interpretanda vera credendi ratio; sive de-
pressi aliquo malo erigendi; sive Ecclesiæ Patriæque
salus sanctissimo Numini commendanda, perpetuò eum
lecta beataque verborum ac sensuum copia circumflue-
bat. Quippe ad hæc præstanda facultas illi non deerat,
quam in sua juventute magnò studio, ac postmodum in
publicis muneribus assiduo rerum usu collegerat. Ut
tamen eandem sibi vel conservaret, vel amplificaret,
majorem

majorem noctis partem, non solum diei in Theolo-
 gicis studiis infumebat; ac surgebat quotidie ferè ante
 lucem è lectò. Neque ego hic negaverim, illum aut
 secutum fuisse exemplum Demosthenis, qui victus
 opificis antelucanâ industriâ vehementer dolebat: aut
 Epaminondæ Thebanorum Imperatoris, qui ideò vi-
 gilans erat ac sobrius, ut cives sui securius dormirent.
 Certum est, quicquid hujus fecit Noster, non aliam
 ob causam fecit, quàm ut quotidie se ipso melior ex-
 isteret, aptiorque redderetur ad obeundas officii par-
 tes. Hoc enim à DEO præcipi, cujus sustineret ipse
 personam, cujus gereret vicem: & cui aliquando tan-
 quam procurator hujus villicationis suæ redditurus
 esset rationem, probè recordabatur. Nec verò tan-
 tum illis, qui ad Ecclesiam suam Coldiciensem per-
 tinerent, sed & aliis ingenii dexteritate prospexit. Sic
 sol non solum illas terras, quibus proximus est splen-
 dore suo collustrat, verum & radiis suis penetrat ad
 disitas maximè & remotas. Sic bonus Paterfamilias
 in fundis suis versatur; sic agros colit & hortos, ut
 & alienos fructum aliquem percipere patiatur. Quam
 laudem planè sibi propriam fecit Noster, dum quic-
 quid bonorum suò labore partum habuit, hoc &
 cum illis, qui ejus tutelæ demandati erat, & cum
 aliis, qui ejus opem desiderabant, libenter communi-
 cavit. Erat enim in eo admirabilis animi vigor
 alacritasque mentis, ut simul res maximè diversas,
 obscuras & inextricabiles fermè unò eòdemque
 tempore expediret. Hinc inopes consilii ad ejus æ-
 des, tanquam ad oraculum aliquod confugiebant;
 cumque ante consternati ac tristes ad eum acces-
 sissent, mox pleni gaudio recedentes ejus humani-
 tatem; atque prudentiam prædicare non desinebant.

C

Quam-

Quamvis autem in eo essent celeres ingenii motus, qui ad cogitandum acuti, ad explicandum uberes, ad perficiendum prompti viderentur: nunquam tamen raptim & præcipitanter de rebus magni momenti pronuntiabat; suum consilium non præcox, sed maturum esse cupiebat, volvebatque animo semper illud: QUI MAGNA MOLIUNTUR, CUNCTARI SOLENT. Imitamini, imitamini, generosiores animæ; & cavete, ne lingua vestra mentem præcurrat: ac deinceps lapsus ruinaque properantem castiget audaciam. Intuemini in exemplum Antistitis nostri, cujus judicandi maturitas commovit summum illum Ecclesiarum nostrarum Senatum, ut ejus judicio ac arbitratui maximas res subjiceret committeretque. Nam cum in Leisnicensem & Waldheimensem, quam vocant inspectionem visitatores mittendi essent; Noster cum aliquibus aliis allegatus est illuc, ut lustraret omnia, & cum curâ exquireret, quid fiat, aut quomodo res sacra geratur. Quid de ejus liberalitate & alios juvandi promptitudine dicam? Nobiles illi de porticu sapientes nos à naturâ in mutuum adiutorium creatos esse: & nasci quemque eum in finem, ut aliis prodesset, docuerunt. Quæ sententia, ut à Christianorum doctrinâ non planè est aliena, si DEI agnitio verusque cultus ab hoc fine non excludatur, ita & eam Antistes noster cupidè semper est amplexus. Fuit ejus liberalitas multis salutaris: prompteque opitulatus est, si quis auxilio suo, siue consilio indigeret. Equidem dum animum Nostri beneficium excutio, nescio sanè, quid prius in eò, quid magis admirer; bonitatemne ejus, quæ tantæ ad opem ferendam alacritatis origo fuit? an prudentiam, quâ in deferendis beneficiis uti solitus est? sæpè dedit ille; sed ita dedit, ut nec tenax,
nec

nec prodigus esset: sublevavit alios, sed ut se ipsum non deprimeret. Illos judicabat liberales, qui aquam de suo fonte haurire, & ignem ab igne capere patenterentur, non qui & fontis & ignis possessionem simul cederent. Quid ego nunc comitatem ejus, affabilitatem & humanitatem prædicem? Magna fortuna hominum animos plerumque mutavit; & quò altius sunt eveci, eò majores sibi spiritus fumere consueverunt. Non occupavit Nostrum hoc intemperiarum genus. Nam cum multi assidue ad eum ventitare haberent necesse, aut delaturi querelas, aut petitori opem & consilium, humaniter eorum cognoscebat postulata. In familiari consuetudine, inque convictibus, cum hilaritati aliquid dandum esset, nihil aliud ex eò, quàm sermo & urbanitatis sale perspersus & notis doctrinæ illuminatus audiebatur. Quod in morè positum fuit vetustissimis sapientibus, præcipuè illis, qui ex Platonis scholâ egrediebantur, ut sub ludicri ac jocularis argumenti specie optimam sapientiæ doctrinam involverent. Sic fuere quidam ex antiquis Ecclesiæ Christianæ Doctoribus, qui lepidis ac facetis dictis non neminem facinorosum variisque vitiis coopertum hominem ad virtutis studium inflammaverunt. Qui mihi idem fecisse videntur, quod prudentes Medici solent; qui cum uestionibus, sectionibus, inedia, detractione sanguinis, non morbum, sed ægrotum expugnari vident, ad mitiores curandi rationes descendunt, & indulgentes fomentis aliisque mollioribus remediis, malunt ægrotum cum parte morbi superesse, quàm utrumque simul è mediò tolli. Sic multi sunt, qui cum jocosis narrationibus, aut acutis apophtegmatibus vitia sua notari audiunt, sæpius ea exuunt

sponte, ad quod vix gravi admonitione multisque
conviciis adacti essent. At, cum multorum in præ-
sentiâ suam turpitudinem manifestari vident, jam
famæ securi, quæ palam dicuntur, palam quoque
committunt; & dum famam bonam desperant, ma-
lam negligunt. Hanc rationem depravatos tractandi
animos astutè noverat Noster, peccantes amicè
compellendò, pungendò interdum dictò aliquò acri
& ingeniosò; nec auctoritatem & dignationem suam,
inreparationibus, conviciis & supercilio metiebatur.
Sed nunc de Justitiâ quoque Antistitis Nostri expo-
nendum est; quæ tanta fuit, ut mereretur primò locò
inter ejus virtutes poni. Multis non rarò excellentibus
viris splendor oblatorum donorum verba dedit: dum-
que alios injuriosè dejecerunt de suo jure, laudem cæ-
terarum virtutum turpiter perdidierunt. Ab his totò
animò dissentiebat DIETSCHIUS, & capitale pro-
pèmodum in eos odium gerebat, qui Justitiæ, quan-
tum in ipsis esset, impedirent cursum. Nunquam
sumsit ille pecuniam, ut aliorum vitia tegeret; tegit
tamen, si culpam confiterentur & dolerent, fidemque
darent in meliorem frugem. Jam quæ ejus tempe-
rantia, quæ frugalitas erat? Multos cognovi cibi po-
tusque parcissimos, sed hòc parciozem & continen-
tiores ferè neminem. Cum ipse epulis interdum
bonorum amicorum interesset, tantamque adhiberet
in edendo ac bibendo moderationem, plerumque
solebant mirari, quò fieret, ut vir tam frugi tamque
temperatus, tot laboribus ferendis sufficiat. Amicos
autem habuit quamplures. Quippe fumos vendere,
& affectatis verborum blanditiis alios ducere nun-
quam potuit: sed semper fuit in eo generosus quidam
& in-

& incorruptus candor, qui in dictis ac factis, tum gestu ac moribus nihil fictum aut temporis ratione vafre assumptum patiebatur. Hinc ejus amicitiam, quæ rata erat ac firma, eò ardentius quamplures ambiabant affectabantque. Inter omnes verò amicos suos nullum magis fidum ac constantem in omni vita expertus est, quàm Theologum doctissimum DANIELEM DIETSCHIUM, fratrem suum Germanum, cujus solum nomen cum dico, pietatem simul ipsam fidemque canam & antiquam dico. Etenim si rectè calculum ponimus, multum faciunt ad conjunctionem animorum iidem natales, eadem educatio ratioque studiorum. Quæ omnia his duobus Fratribus contigerunt. Nam eadem edidit illos Mater, iidem educavere parentes, sub iisdem etiam meruere præceptoribus. Jam quid inde aliud poterat consequi, quàm ejusmodi amor mutuus, qui unum quasi in duobus corporibus animum efficeret. Quod declaratum fuit maximis inter ipsos officiis ultro citroque exhibitis: præsertim verò cum ne obitu quidem JOHANNIS GEORGII hoc arctissimum amoris vinculum solveretur. Transibat enim tunc DANIELIS amor in viduam & orbos Patre liberos, in quibus fratrem suum aliquâ parte adhuc superstitem esse putabat. Et cum mox Matrem etiam necessitatis ultima lex his duobus DANIELI GOTTLOBIO & SOPHIÆ CATHARINÆ adimeret, statim illos in suam tutelam recepit, nil moratus præsentissimum periculum, cum morbus popularis tum temporis Colditii grassaretur, qui cum famulâ Matrem simul à latere filix divulgasset, sed ex faucibus mortis quasi, infandis molestiis ereptam SOPHIAM CATHARINAM,

postquam in domo quâdam contagii experte per septimanas sex latuisset, familiæ suæ, summâ tamen cautione, adduci curavit. Hic fermè per biennium filiæ instar educata est, donec Tutor hic viduus factus, eam Matris Sorori commendaret, quæ hætenus finxit eam sedulò, & in decoram rectamque proceritatem felici industria direxit. DANIELEM verò GOTTLIBIUM, volente sic Matre adhuc vivâ, miserat in Altenburgense Gymnasium, cum illi prius inculcasset probè, ut castè & sanctè coleret DEUM, sedulamque bonis literis operam navaret. Hic ille mansit ad tempus, & artibus illis ac studiis, quæ sibi ab humanitate nomen vendicant, virtutibusque penitus animum intinxit; donec consilio ac suasu prudentissimi Patruï discederet inde, ac se Misenam conferret, promoturus ibi in illustri Scholâ ductu & auspicio celeberrimorum Virorum mores & studia in melius. Integrum in illa exegit quadriennium industriâ, modestiâ, innocentâ; suorumque Præceptorum iudicium usque adeò meruit, ut honesti ac eruditi discipuli laudem præ cæteris illi tribuerint, & testimonio, more consveto, publicè confirmarint. Jamque Lipsiæ vivit, nactus campum, quò in omne literarum ac artium genus lætissimo impetu excurrere potest: neque tantùm acceptum à Patre decus tuetur adhuc, sed & idem augebit aliquando, & in majus extollet. Cæterum ut ex hoc diverticulo redeam, quò me abduxit pius ac sincerus ardor quidam, nunc de morte Antistitis Nostri nonnihil dicendum erit. Nimirum hic est scopus, quò omnes intuemur ac cursum dirigimus: ingredimur vitam ut cancellos quosdam, horum spacium cum est emensum à nobis, rursus digredimur.

Nemo

1083.

Nemo navigat eo animo, ut semper naviget; nemo militare discit, ut nunquam militare desinat; sed & qui navigat portum, & qui militat victoriam intendit. Vita hæc periculosa navigatio est: militia cum inexhausta ærumnarum segete luctans; quam si quis rectè novit, non ut diu in ea existat, sed ut cum laude & bonis recordationibus exeat ex ea, optabit. Quod si contingit, ut hic vitæ nostræ supremus quasi actus ponatur cum honore, sequitur nos favor ac plausus populi. Credo, quod quemadmodum sol ille, quem quotidie videmus, nunquam nobis pulchrior est, quàm cum cadit; sic in iis, qui solis instar suis luxere virtutibus, nihil magis, quàm eam vitæ partem, quæ laudabiliter clausa est, admiramur. Noster verò JOHANNES GEORGIUS, sicut in eo totus fuit, quamdiu vixit, ut pulchrè oppeteret, ita quoque ex animi sententiâ placidissime acquievit. Nam benè moriendi artem callebat optimè; quam condiscerebat etiam inter maximas fortunæ blanditias, subinde respiciens rotam ejus volubilem, & volvens imprimis extrema rerum; quæ ut rectè posset obire aliquando, hoc diligentius studebat, quod rectè non nisi semel obiri possent. Atque sic hilaris, lætus & plenus optimæ spei tolerabat graves & acutos calculi dolores, qui præcedebant ejus mortem: neque statim, cum vigeret adhuc animus, muneris sui partes deponebat. Dispar delicatulis illis, qui cum leviculum capitis aut digiti dolorem percipiunt, illicò defixi lectulo abduntur altè; & si unum de morte verbum dixeris, anxii medicorum exquirunt opem, seque mortales esse, tum demum cogitare incipiunt. Obibat itaque munia sua DIETSCHIUS tam diu, donec
tantas.

tantas vires sumebat malum, ut ejus pertinacia omnia quoque remedia eluderet. Cumque jam animadverteret nutare corporis sui compagem, ipsamque minari ruinam, ne ullum quidem unquam signum timoris dedit. Quid enim timeret, qui Christum haberet secum? quem poscebat unice, cujus etiam sacrosanctum corpus & sanguinem, confessus peccata, excipiebat devote, ut tanto expeditius ad eum, quem spirabat unum, quo fidebat uno, evolaret. Antequam vero egrederetur ex hac vita DANIELIS Fratris sui amantissimi, qui tum aderat, dextram arripuit, petiitque ut uxoris suæ & liberorum patrocinium susciperet, quod cum facile impetrasset, dixit postremo: jam vale Frater, prohibent fata me Tecum hic esse diutius, fiet tamen aliquando, ut Te iterum videam, & inter illos beatorum spirituum coetus sempiterno amore complectar. Quæ cum dixisset, languidâ & moribundâ voce crebro repetebat suavissimum Jesu nomen, & inter ista ardentissima suspiria, deficiente jam linguâ, sensibusque paulatim abeuntibus, animam Creatori commendabat. Acquievit autem d. XIII. Calend. Sextil. Anno post restitutum salutem MDC LXXIX: natus est Anno MDC XXVII d. XII. Calend. Januarii, unde constat ejus vitam in unum & quinquaginta annos, si aliquot menses addas, patuisse. At ivit in finem dies ante vesperam, hoc est, obiit Noster antequam esset senex; quod auget dolorem, eique ingentem addit cumulum. Ego vero quamvis intempestivas lachrymas, quæ fluunt post aliquot annos, & illa lugendi officia, quæ serius exhibentur, inepta censeam: non possum tamen sine maximâ mentis ægritudine immaturum tanti viri obitum

obitum recogitare. Magna ejusmodi virorum penuria hodiè est; & multi pro solidè doctis habentur, qui vix artes, ut olim de Nilo canes potasse dicuntur, transeundo delibarent. Talis fucata, & tantummodo picta eruditio non erat in Antistite Nostro; sed quicquid didicerat, id hærebat in ejus animo fixum, habebatque verum sui fructum ac usum. Hinc non miror, quod ex ejus morte ad publicum tam grave damnum; ad cognatos & familiares, tam ingens dolor redundaverit. Quæ si replicare denuò, ac vulnus jam obductum quasi cicatrice, iterum refricare vellem, quid aliud esset, quàm defuncto suam felicitatem invidere. Qui jam eò est profectus dudum, ubi nihil planè mali, cujus perpetuo nos circumagit metus in terris, pertimescit. Non de scorbutò queritur amplius: non tentatur à calculo; sed Christo conjunctus coelestibus gaudiis efflorescit. Non extinctus est penitus; sed spirat adhuc & vivit in liberis suis. Narrabunt ejus facta & venerabuntur posteri: ac nemo erit, qui non optet, ut JOHANNES GEORGIUS noster perenni hominum memoriâ vivat, floreat, vigeat.



D

ADSTA.

AD STA. VIATOR!
VIDE. LEGE. LUGE.
SUB. HOC. SAXO
POSUERUNT.

FACUNDIAM. CHRYSOSTOMI,
GRAVITATEM. AMBROSII,
SUAUITATEM. LACTANTII,
PIETATEM. BERNHARDI.

QUID. ENIM. DISSIMULEMUS.
HIC. JACET. ET. TACET.
VIR PL. REVERENDUS. ET.
EXCELLENTISSIMUS.

DN. M. JOHANNES. GEOR-
GIUS. DIETSCHIUS.

CUI A. C. MDCXXVII. SULZA. THURIN-
GIÆ. DEDIT. NATALEM.

GOTHA. HUMANIORUM. POSUIT.
FUNDAMENTUM
VVITEBERGA. HONORIS. ADDIDIT.
ORNAMENTUM.

QUI.
DEO. ET. PROXIMO.

SUAM,

1085.
SUAM. UNICE. NAVAVIT. OPERAM.
NULLI. PARCENS. LABORI.

UT. DIACONUS. BORNÆ. FIDELISSIMUS.
PER. SEPTENNIIUM.

UT. PASTOR. ET. SUPERINTENDENS.
VIGILANTISSIMUS.

LIEBENWERDÆ. PER. SEXENNIIUM.
COLDICII. VERO. PER. NOVENNIUM.

O. FATUM!

NUNC. JACET. QVI. JACENTES.
ERIGEBAT.

EXANIMIS. EST. QVI. EXANIMATIS.
ANIMUM. ADDEBAT.

VITA. CARET. QVI. VERÆ. AC. BEATÆ.
VITÆ. RATIONEM. DOCEBAT.

CONGREGAMINI.

O. STELLÆ. COLDICIENSIS. ECCLESIAE.
PRIMÆ. ET. SECUNDÆ. MAGNITUDINIS.

PHOSPHORUS. ET. EPHORUS.

VESTER. OBIIT.

ET. JAM.

LUCET. CUM. DEO. LUCET. IN. DEO.
NUNQUAM. LUCEBIT. EXTRA. DEUM.
VELOCITER. AST. FELICITER.

SALTEM. QUINQUAGENARIO. MAJOR.
EX. MUNDO. IMMUNDO. ET. CALAMITOSO.
IN. COELUM. ET. AMOENA. BEATORUM
VIRETA. EVOLAVIT.

D 2

SUIS,

SUIS. RELINQVENS. BONAM. FAMAM.
AMICIS. SUI. RECORDATIONEM.
OMNIBUS. DESIDERIUM.
OSSA. HUIC. SEPULCHRO.
D. XXI. JUL. A. C. MDCLXXIX.
ILICET!

7a6600



EW. 240.

X 2046

PARENT

DIE TSCHE

Maxime - Reverendo

M. JOH.

DIE

A TIOBIO

De Ecclesia Coldicien
nos, ingenti Eccles

Ex sincero qu

IV. Nonas 7

MARTI

Typis C

